

CAP. II.

DE BONI PASTORIS ERGA SUPERIORES,
AEQUALES, ECCLESIASTICOS INFERIORES AC DOMESTICOS
RELATIONIBUS

Quinam boni Pastoris:

A) Superiores extent per se patet, scilicet: Summus Pontifex, Romanae Congregationes, Ordinarius, Vicarius Foraneus ac Laicales Potestates;

B) Aequales vero Pastori tum cleris regularis, tum comparoci dici possunt;

C) Inferiores autem, de quibus nunc quaestio est, sunt coadiutores ac personae domesticae, sive consanguineae, sive minime sint.

Articulus I.

DE PASTORIS ERGA SUPERIORES RELATIONIBUS.

§ I. — Quae erga Summum Pontificem
ac Romanas Congregationes a Pastore praestanda sunt.

SUMMAE RERUM. — 175. Quantum Summo Pontifici obsequi Pastores deceat. —
176. Peculiares ad rem indigitantur normae. — 177. Quomodo ipsi SS. RR.
Congregationes erga se gerere debeant. — 178. Aliquae ad rem practicae re-
gulae recoluntur — 179. Quae in re fidelibus suadenda.

175. — Paroeciae, ex earum canonica institutione, ab Apostolica Sede
ortum vitamque legalem ducunt. Ut, igitur, matrem patremque venerantur
filii, ita Romanum Pontificem [qui Petri locum tenet] tam indebili
studio venerari, amare ac prope infinito prosequi obsequio
Pastores decet, ut Sanctissima pro Eius Persona ac causa, et postremam
eorum sanguinis guttam effundere ipsi omnes haud dubitent. Hoc Pa-
rochorum omnium gravissimum sanctissimumque officium, quo tantum
Sanctae Ecclesiae mens servatur incolumis; haec eorum praeclarissima
ac vita, ex quibus tota apostolica actio vivificari ac regi debent. Pastores,
igitur, quam ut haec sincera ac omnimoda erga S. Sedem devotio suis

ac in fidelium cordibus mentibusque inseratur ac foveatur, nil antiquius
habeant. Hanc salutis anchoram, qua tantum per salebrosum huius
mundi aequor dilectam ditionem perbelle regent, et ad salutis portum
perducere valebunt, assidue teneant ac numquam dimittant. Ubi, enim,
Petrus ibi Ecclesia, ubi Ecclesia ibi Christus, ubi Christus hic via, veritas
et vita ac numquam lapsura merces, gaudiumque numquam cessurum.

176. — Nec satis, sed quasdam ad rem opportunas praebere nor-
mas censemus, quas ita paucis restringimus:

a) In Summum Pontificem, non privatam tantum personam,
sed [et quam maxime] Christi Vicarium ac Principis Apostolorum
Successorem Parochus veneretur. Publicam inter ac privatam Eius per-
sonam hec distinguere adeo periculosissimum, ut et saepe perniciosum.
In Pontificis, igitur, voce, Dei vocem cognoscat ac revereatur Pastor,
quo tantum, humanis argumentis, haud falletur.

b) Non tantum pontificiis iussis, sed et optatis etiam a longe
significatis, prompte, sincere ex toto cordis mentisque obsequio ac in
omnibus Pastor pareat.

c) Apostolicae Sedis ordinationes non tantum ex norma
boni paroeciae proventuri, sed ad illud Ecclesiae generaliter obventuri
ipse dimetiatitur. Quamvis, enim, ut plurimum, haec sese inter conve-
niant, attamen adiuncta in quibus aliter appareat haberi possunt, de
quibus iudicare Eius tantum est qui, Petri locum tenens, omnibus Eccle-
siae ovibus et agnis consulere debet. Cum obedientia perire, potiusquam
cum contumacia vivere praestantius esse, nemo est qui non videat.

d) Indebita ratione, ullo in negocio nec per se, nec per alios ad
sua in generali Ecclesiae regimine optata, Apostolicam Sedem
pertrahere ne contendant; quod tum in Supremae huius Auctoritatis
grave impedimentum ac iniuriam, tum in ipsius Pastoris magnum detri-
mentum vertere consuevit. Paroeciae, igitur, peculiari regimine omnes
contenti, in alio generali Ecclesiae manus ponere ne audeant; et cum
rogentur, huius utilitates tantummodo pree oculis habendo, perquam
cautissime se habeant. Res sane plena periculi est, ad quam apte
gerendam, multa ac egregia prudentia opus est. Apostolicam, igitur, Sedem,
si rogati, Pastores adiuvent, immo enixe, et ex toto corde adiuvent; at
[ordinariis in adiunctis] nullo modo nulla ratione quae in generali
ac peculiari Ecclesiae regimine disponenda sunt praeveniant. Coetera ad
rem Pastoris prudentia subaudiet.

e) Ecclesiasticae, autem dignitates ac honorificentiae¹

¹ Cfr. S. C. C. Instruct. ad Ordin. omnib. 16 sept. 1884.

quamquam, veri quum sint excellentisque meriti praemium et argumentum, venerandae quam maxime, ac, si sponte offerantur, grato cum animo suscipienda, non quidem ut earum ratione quis inaniter infletur, sed ut coronata dignorum filiorum virtute Ecclesiae quoque universale decus et ornamentum augescat; attamen iis avido animo inhiare, non modo indignam personam [iuxta effatum illud, *indignus quia petiisti*], sed etiam vanam inbecillemque mentem, ut plurimum, prodit.

177. — Mutatis mutandis, quae Summum Pontificem erga a Pastore praestanda sunt, et SS. R.R. Congregationes erga ab ipso pariter consulenda. Hae, enim, nil aliud quam Apostolicae Sedis tramites per quas [sapienti consilio] gubernatur Ecclesia [cuius paroeciae egregiam constituant partem] extant; quas itaque si quis posthabeat, ac Summum posthabere Pontificem esset. Idcirco quod Pastor in Pontificem enutrire debet obsequium, et in SS. R.R. Congregationes foveat, quod sane in praxi haud ita frequens ut illud suadere non sit vanum. Ut, enim, Civili in Principatu prompte obsequitur Regi, eius vero Ministri facile posthabentur, ita in ecclesiastico, si Summo Pontifici libenter paretur, haud semper eius Officialibus, in quibus [vitium satis commune est] potiusquam publicam, privatam eorum personam plures attendunt, quo facilis eorum iussa ac consilia primun infirmantur, ac demum posthabentur: quod sane an in Ecclesiae bonum vertat haud difficile dictu.

178. — Ad rem vero heic quoque peculiares indigitare normas haud erit vanum. Idcirco:

a) Omnibus in Sacris Romanis Congregationibus Summi Pontificis auctoritatem et personam ipsi venerentur.

b) Non tantum Earum ordinationibus, sed etiam optatis, prompte, sincere, ulla absque epicheia Pastores stent; nec fidelibus has simulent, sed quidquid iubeatur ut promulgent [peculiaribus Ordinarii instructib; attentis] S. Sedis auctoritati obsequantur.

c) Necessitatis tantum causa Congregationes adeant et [si negotia *forum internum* spectantia excipias] per diocesanae Curiae trahitem hoc praestent. Quod et in paroeciae regiminis libertatem, et in SS. R.R. Congregationum [quae tantis, ex universo Orbe, oberantur negotiis] adjumentum ac solamen vertere consuevit.

d) Parcissime ac genuinae tantum necessitatis caussa dispensationes privilegiaque ipsi postulent, quae, quamvis ab Ecclesiae benignitate elargiantur, attamen si frequentius quam par est sciscitentur, legem semper vulnerant, ac multorum dictionia et hostilitates adeo excitant, ut quae ex dispensatione habentur commoda, caetera quae ex

ialousia sortiuntur detimenta haud compensent. — Quae pericula ut de dispensationibus obtentis arctissimum quandoque servetur silentium, et parce ac cautissime [nimirum id quod satis] iis utatur, quoque¹ suadent².

179. — Quae tum SS. erga Romanas Congregationes, tum [ac praesertim] Summum Pontificem erga Pastoribus consulere ausi sumus, ut et fidelibus omnibus [occasione data] indesinenter ipsi suadeant, quam maxime hortamur. Nostris, enim, temporibus venenatus undique aër ac modis omnibus perquam versutissime, Apostolicam auctoritatem convellere contendit. At ut malefico a S. Sede independentiae spiritui Pastores constanter obsistant necesse est, et ut Ipsam erga tum mentis, tum operae omnimodam, ac quam maxime sinceram obedientiam ovibus suadeant, satagant. Enimvero, erga Petri Cathedram obedientia ac fiducia diruta ut christiana quoque diruatur observantia necesse est. Tunc, enim, dira huius saeculi haeresis [quam modernismum compellant] multas meteret victimas, quae protervum huius saeculi spiritum forsan glorificant, at animas foedantes, sibi extremam ruinam, Christiano gregi scandalum, Ecclesiae vero infandos dolores infandaque detimenta comparabunt.

§ II. — Quae erga Ordinarium Pastori suadenda sunt.

SUMMAE RERUM. — **180.** Quantum Episcopo adhaerere Pastori bono intersit. —

181. Pastorales ac canonicae in hoc condiciones renuntiantur. — **182.** Quaedam ad rem generales normae practicae recoluntur. — **183.** Cum Curia episcopali quae Pastoris agendi ratio esse possit.

180. — Hyerarchiae ecclesiasticae ratio ea est ut unaquaque in dioecesi in christifideles omnes Summi Pontificis auctoritatem sortiatur Ordinarius; quod sane ad animarum tutandam salutem quam maxime necessarium. Enimvero, quamvis quam suum in gregem auctoritas sortitur Parochus non delegata sed ordinaria sit, attamen, per Episcopum animarum Pastor instituitur, et per Ipsum in sollicitudinis partem, qua universum diocesis gregem Ordinarius pascit, ab eo vocatus est. *Sicut, enim, septuaginta senes Moysi dati sunt in adiutorium regiminis, ita Parochi in adiutorium ministerii Episcopo concessi sunt, et velut membra cum illo tanquam capite, ad hoc praeclarum ministerium assumuntur*². — Enimvero si Aaron locum in pastorali ministerio Episcopus tenet, Eleazari et Ithauri Parochus, si unius ex duo-

¹ Cfr. nuperr. *Curiae Rom. reformat.*
[juxta C. Sapienti consilio] ad volumin.
calc. docum. III.

² S. Thom. *Quodlib.*, III, art. 7.

decim Apostolis vice fungitur ille, ex septuaginta discipulis hic est, et si Episcopus de universo diocesis grege, de commissa Parochus plebe, summo Pastori Iesu Christo, arctam rationem ambo reddituri sunt. Quapropter in omnibus ac semper esto subiectus Pontifici tuo, et quasi Parentem suscipe: amare, enim, filiorum, timere servorum est¹. Omnes Episcopo obtemperate ut Iesus Christus Patri; separatim ab Episcopo nemo quidquam faciet eorum quae ad Ecclesiam spectant². Pastor, igitur, bonus Episcopum honoret tamquam in persona Christi incedens, et illi adhaereat ut Ecclesia Christo³; nam si quis cum Episcopo non stat, in Ecclesia non est⁴. Sancta, itaque, apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque Sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum⁵. Semper, igitur, ac in omnibus uti sui pastoralis regiminis consiliarium, ductorem, correctorem ac tutorem Ordinarium Pastor bonus consideret, ut perardui sui muneric amicam ac matutinam stellam ipsum habeat, ac in sua paroeciae, saepe procelloso, aequore adeo uti pharum Ordinarium scrutet, ut ab eius directionibus numquam ac in nihilo declinare audeat. Hac ratione, o Pastores, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unum spiritum efficietis, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae⁶. — Quae si omnibus recolenda Pastoribus, iuvenibus praesertim qui prima vice pastoralem condescendunt cathedram, ne, protervo huius saeculi spiritui parentes, praesumptuosi ac audaces, una cum grege sibi commisso, ad ruinam properent. Melius, enim, est, centies milliesque melius cum Episcopo falli, quam sine eo fatuum celebrare triumphum.

181. — Normas ad rem pastorales sic perstringimus paucis:

a) In Ordinarii persona eum qui Summi Pontificis locum tenet Pastores venerentur; quo [par pari referendo] quae Apostolicam erga Sedem sensa fovent, et ipsum erga fovebunt.

b) Non tantum operae ac exequutionis, sed et mentis omnimodam obedientiam Ordinario exhibeat Pastor, quae, ut in eius personam tum existimatio, tum amor foveatur quam maxime necessaria. Nemo, enim, amat quem non aestimat, et nemo sincere paret nisi ei quem aestimet ac amet. Eius, igitur, iussis non tantum, sed et optatis a

¹ S. Hieronym. Epist. *Ad Nepotiam*.

² S. Ignat. Antiochen. *Ad Smyrn.* cap. 8.

³ S. Ignat. Martyr, relat. in *Synod. Veneta* [Par. II, cap. 2] a SS. D. N. Pio PP. X [a. 1898] coelebrato.

⁴ S. Cyprian. epistol. 69.

⁵ Leo XIII, Encycl. *Nobilissima Gallo-gens*, 8 febr. 1884 — Cfr. SS. D. N.

⁶ Pius PP. X. Epist. ad *Episcop. Ital.* 26 jul. 1906.

⁶ *Ad Ephes.*, IV, 3.

longe significatis Pastor pareat ac sedulo, prompte, nulla absque epicheia pareat; immo [dum licet] et optata praeveniat, quo, dum suae conscientiae gravissimo officio satisfacit, et supernas benedictiones suam in paroeciam e Superis attrahet, ac praeclarum obedientiae exemplum, fidelibus debitum, praebebit. Ne dicam de periucundis quae ex hac agendi ratione in regimine adiumentis Pastor percipiet, quibus tantum Praepositi omnes ad fidelium generale peculiareque assequendum bonum, unita vi, congregantur. Quod sane in re pernecessarium, ne, discordia flagrante, in ipsorum Pastorum detrimentum, observantiaeque noxam, misero in modo, regimen vertat. Hae omnia animarum Curatores considerantes, quae humanae infirmitatis sunt sensa ac argumenta adeo facilis vincent, ut [caritate mediante] unum cor ac anima una eos inter efformetur. Ad exercitus afferendam cladem, nil efficacius quam discordia Ducum!

c) At quum [quotidiana experientia teste] consuetus ac ordinarius omnis gubernationis scopus hic extet, hic opus, hic labor. *Sed... quid iuverit iussa praescriptionesque dari si non haec rite constanterque serventur?*¹ Frustra namque ordinationes, regulae, constitutiones, instructionesque conduntur, nisi per Pastores frequens ac strenua praescriptarum rerum executio accedat. Ad rem:

I) Vigilantia in omnibus ac circa omnia adeo utatur Pastor ut qua fide, diligentia, industria, religione ac exemplo tum ipse, tum coadjutores hac in re agant, omnino perspectum habeat.

II) Ordinarii ad fideles encyclicas e suggestu diligenter ac intelligibili voce statim in die, vel proxima dominica sequenti harum receptionem Parochus perlegat. Si vero aptum commentariolum adderet ipse, etiamsi id in litteris suis haud Episcopus explicite iuberet, dum ipsorum intelligentiae perutiliter subveniet, tum obedientiam, tum venerationem erga Ordinarium quam maxime ipse fovebit. Hi igitur [si habentur] qui pastorales Ordinarii litteras in paroeciae archivum relegantes, christifidelibus haud nuntiant, vel, tam summatim et perfunctorie praestarent, ut confusionem potiusquam instructionem eorum in mentibus excitarent, quantum reprobandi essent nemo est qui non videat.

III) Peculiares Ordinarii praescriptiones saepe perlegat, ac si quid in re tum a se, tum ab aliis peccetur [attentis circumstantiis] emendet.

d) In Episcopi generali agendi ratione, et de peculiaribus eius ordinationibus sententia ferenda, non tantum ex his quae sibi ac pro-

¹ Pius PP. X. Encycl. *Pascendi*, 8 Sept. 1907, ad VI.

priae paroeciae, sed [et praesertim] ex illis quae dioecesi universae provenire possunt adiumenta, Pastores moveantur; haec, enim, generalia bona sunt, quibus peculiaria locum cedant oportet. — Quamvis vero utraque sese inter adeo componere ut utrique consulatur Ordinarii officium sit, attamen adiuncta in quibus secus agendum prudentia suadeat haberi possunt, de quibus recte iudicare illi tantum qui alto in loco considens plura quam qui in imo stat perspicit. Ad hoc vero de Ordinario sententiam ferre uti a subditis de propria actione diiudicari Pastor maluerit, opportunum erit.

e) Etsi Pastor quibusdam in peculiaribus, ex canonica institutione ab Ordinarii iurisdictione certo quodam modo exsolvatur, attamen verum ac proprium in Episcopo Pastorem adeo veneretur ac obsequatur ut non tantum in suis juribus, sed in omnibus quae ille iusserit pariat. Enimvero, quamvis Parochi auctoritas, non per modum voluntariae commissionis delegata, sed ordinaria sit, nihilominus autonoma dici nequit, sed potius uti superioris mandati executiva haberi debet. Legem ferre Episcopi est, eam exsecutioni mandare Parochi. Quod omnes quidem norunt, sed utinam omnes intelligerent!

f) Dioecesis in regimine nullo modo, nec verbis quidem, Pastor se ingerat: in saecularis vel regularis cleri cum Episcopo contentionibus nulla ratione se immisceat, et cum necessitatibus caussa id fiat Ordinarii auctoritatem enixe semperque tueatur.

g) Ab Episcopi in dioecesis regimine iudicanda opera omnino abstineat; cum vero ab iis quibus ius inest de re consulatur, prudentissime se habeat, et [ut diximus] potiusquam iuxta paroeciae bonum, iuxta generale totius dioecesis emolumenatum iudicium prodat.

h) Ordinarii iura fideliter Pastores revereantur, ex quibus, quae ipsis necessaria vel utilia sunt scitu, huc redeunt¹:

I. Suprema ac ordinaria, pro utroque foro, est Episcopi potestas in sua dioecesi; quo fit ut inibi legislativa, iudicaria et coactiva triplice potestate ipse gaudeat.

II. Episcopus in sua dioecesi personarum omnium quae privilegium fori gaudent ordinarius iudex est, et in prima instantia causas omnes ad forum ecclesiasticum spectantes, [scilicet, quae ad fidem, mores, disciplinam, sacramenta, sacramentalia, beneficia coeteraque huiusmodi referuntur] ipse iudicat, et ad rem non solum monitis, sed et censuris aliisque canonis poenis in contumaces uti potest².

III. Episcopi iura quo minister, magister ac imperans huc redeunt:

a) Quo Minister:

1. Primus in sua dioecesi sacerdos et parochus ipse est, quo fit ut, etiam inferioribus invitis, quando ac ubi libuerit sacra ministeria exercere possit

¹ Cfr. Deshayes et D. D. cit.

² Trid. XIII, 1.

2. Ut sacri ministerii functiones, ac omnia quae ad cultus referuntur rite a sacerdotibus peragantur invigilare, ius ac debitum illi inest.

3. Casus sibi reservare³, a quibus ipse solus absolvere valeat, Episcopus potest, ac excepto vicario generali ac Parocho, nullus sacerdos valide absolvit nisi, praeter debitam iurisdictionem, et Ordinarii loci adprobacionem habuerit, quae limitata quidem concedit potest.

4. Stipendia Missarum⁴, taxas dioecesanas⁵, oblationes fidelium, ratione sacri ministerii necessarias statuere, ad quam clerici omnes [etiam regulares] tenentur, Episcopi est.

5. Peculiare Episcopi munus est invigilare ut Parochi aliquique omnes animarum curam gerentes, omnia sibi commissa munera, debito modo diligenterque exerceant. Hos eligere eius est, cui etiam competit beneficia et paroecias creare, unire, dismembrare, cuius auctoritate tantum, pro ecclesiis vel beneficiis, fundationes, dotations et erectiones, statui possunt.

6. Territorii et iurisdictionis delimitatio [servatis servandis] necnon, generatim, iudicium et oeconomica ordinatio eorum omnium quae rectam socialem dioecesis organizationem respiciunt, Episcopo spectant.

7. Vacantibus ecclesiis providere, temporales res [uti patrimonii ecclesiastici curator] administrare, eius est. Fabricas, igitur, beneficia, fundationes, donationes, legata pia, testamenta et ultimas voluntates ei subiacent.

8. Clericalis decoris promotor ac custos Episcopus est, et ad hoc n omnes generatim sua dictio clericos⁶, quocumque ordinis vel dignitate fulgeant, speciali, eaque amplissima, auctoritate pollet. — De vita et honestate clericorum statuta quae sibi videntur utilia, iuxta locorum et temporum opportunitatem, decernere potest; quod, a fortiori, de institutione ac ordinatione clericorum in Sacris Semiinariis iterandum.

9. In occultis clericorum delictis per sententiam ex informata conscientia⁷ procedere potest, quin contra ipsam detur appellatio ad S. Sedem, cui tantum patet recursus ad instar querelae.

10. Ius est Episcopio prohibendi ne ullus sua dioecesis clericus, absque sua licentia, hanc relinquat⁸, et, urgente Ecclesiae necessitate, ut clericos, nulla infirmitate aut alio impedimento detentos, aliquod munus ecclesiasticum suscipiant, urgere potest⁹.

11. Tandem, ne ad celebrationem missae in sua dioecesis ecclesiis, absque sua licentia, sacerdotes extranei et ignoti suorum Ordinariorum commendatiis carentes¹⁰ admittantur, prohibere potest.

b) Quo Magister:

1. In sua dioecesi doctrinae christianaee custos, promotor et vindicis constitutus Episcopus, qui, idcirco, de omnibus quae ad conservationem, dilata-

¹ Trid., Sess. XIV, cap. 7 et can. 11;
C. Auctorum Fidei, 44, 45.

² Benedict. XIV, Synod. I, v, c. 8;
XIII, c. 25.

³ Bouix, *De Episcop.* p. v. c. 30.

⁴ Trid. XXIII, 16.

⁵ Trid. XIV, 1.

⁶ Id. XXIII, 16.

⁷ S. C. C. in *Forojulens*, 31 jan. 1891;
in *Tolos*. 9 jun. 1884.

⁸ Trid. XXIII, 16, et XXII *De celebr.*
Missar. — S. C. C. 28 sept. 1726; C. 2
et 3 *De Cleric. peregrin.* [X, 11, 29].

tionem ac defensionem fidei spectant, inquirendi ius habet¹. Insuper sacram docendi doctrinam tum per se ipsum, tum per alios, quomodo sibi libuerit, verbo, scripto et opere, ius illi inest². Eligit, itaque, approbat, et mittit concionatores, nec, contradicente Episcopo, in sua ecclesia predicare ulli fas est³. De idonea iuventutis institutione decernere ejus quoque est⁴, et libros omnes, ephemerides, diaria, scripta publica quaecunque sint, fidei moribusque periculosa, prohibere ac denunciare potest⁵. Libri quoque de fide, de sacris, de liturgia tractantes ei subiici debent, et nil generatim, absque sua licentia, debet typis mandari.

c) Quo Imperans, tandem:

1. In sua diocesis personas ac res ecclesiasticas quas tum legis universalis applicatione, tum dioecesis statutis, tum particulari praecepto, valet ad debitum finem supernaturalem dirigere, pleno jure pollet Episcopus⁶. Quod jus, non tantum ad personas singillatim sumptas, sed etiam ad Communitates et collegia extenditur, si quae, auctoritate apostolica, exempta sunt, excipias.

2. Sanctarum rerum, quales sunt ecclesiae, oratoria, loca pia quaecumque, sacra supplex, reliquiae et immagines sanctorum, suae curae administrativaes competunt.

d) Quoad dispensationes:

1. Jure id permittente, Episcopus dispensat: a) in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus⁷; et, generatim, in quibuscumque delictis occultis, si homicidium voluntarium et aliis deductis ad forum contentiosum excipias; b) in bigamia similitudinaria; c) in interstitia; d) in illegitimitate natalium quoad ordines minores suscipiendos, et in irregularitatibus dubiis ex defectu; e) in denuntiationibus matrimonii, in impedimentis prohibitivis non reservatis, in voto simplici [excipe tamen quinque maiora vota reservata]; f) in juramento cui ratio aliqua iustitiae non inveniatur adnexa, quotiescumque in ipsa lege posse dispensari dicuntur.

2. Ex consuetudine legitima Episcopus dispensare potest in ieuniis, abstinentiis, observantia festorum, aliisve casibus minoris momenti, aut frequentissime occurrentibus.

3. Ex delegatione pontificia praesumpta, Episcopus dispensat generatim in casu dubio, vel quoties, urgente necessitate, cum magno imminenti animarum periculo in mora, dispensatio apostolica haud impetrari potest.

4. Ex delegatione pontificia expressa generali, Episcopus tanquam Sedis Apostolicae delegatus, dispensat in omnibus quae ipso committuntur, praesertim in administratione temporali diocesis, et in negotio Regulares et moniales pertinente.

¹ Cfr. Leo XIII, *Sapientiae Christianae*, 10 jan. 1890, X, *Huiuscem partis*.

² Cfr. Leo XIII, *Cum multa*, 8 dec. 1882; *Etsi nos*, 15 febr. 1882; *Quod multum*, 22 August. 1886; *Epist. ad Episcops. Austr.*, 3 mart. 1891; Pius X, *Encycl. E Supremi*, 4 oct. 1904.

³ Trid. V, 2; XXIV, 4.

⁴ Pius IX *Allocut. concistor.*, 2 sept.

1851; Leo XIII, *Roman. Pontifex*, 8 id. maj 1881; *Instruct. S. Officii*, 30 jun. 1875.

⁵ Gregor. XVI, *Inter praecip.* 8 mart. 1844; Pius IX, *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; Leo XIII, *Officior.*, 25 jan. 1897.

⁶ Leo XIII, *Romanos Pontifices*, 8 id. maj. 1881.

⁷ Ex cap. *Liceat*, 6. Trid. XXIV.

5. Ex delegatione pontificia speciali, specialiter expressa, iuxta tenorem ac vim indultorum, in particulari materia et causa concessorum, dispensare potest Episcopus.

Ex his, summatim enunciatis omnibus, qua et quanta ex canonicum voluntate, sua in dioecesi auctoritate Episcopus pollet, perspicue Pastor perspicit. Hac, igitur, cum opus sit, utatur ipse, eamque semper ac in omnibus per quam sincere veneretur, ac cum omnibus strenue tueatur.

g) In paroeciae tutandis iuribus, ne nimis tenaciter Pastores se habeant, sed adeo ipsis utantur quasi Episcopi beneplacitum sequi videantur. — In controversiis vero quae in rem haberi possunt, pacifice [quantum licet] eas componere studeant, et contentiones devitare contendant. Hae, enim, etsi SS. apud Romanas Congregationes feliciter cesserint, attamen ad minuendam caritatem contendentes inter, ac gregi dominico aedificationem convellendam, valde semper conferunt.

182. — Quae recoluimus consilia, praesertim in tum oralibus, tum scriptis Parochi cum Ordinario relationibus pree oculis habeantur, in quibus sequentia, insuper, attendenda veniunt:

a) Generatim, quamvis semper prudenter, attamen et adeo fidenter cum Episcopo se habeat Pastor ut nullam malae politicae, vel versutiae suspicionem in illo ingerat, sed, e contrario, eius in se fiduciam indesinenter augere possit; quo, quamvis absens, genuino de paroeciae statu, ut praesens, iudicare ipse valebit. De hoc, igitur, [prudentiae, caritatis iustitiaeque servatis legibus] nil ipsis celato, ac fideliter et opportune tum voce, tum scriptis, candide ipsi cuncta adaperiat.

b) Peculiariter vero:

I. Ut Episcopum illum qui, Urbem petens, coram Pontifice haud sisteret uti infidelem sacri habent canones, haud secus et de Parocho, qui episcopalem adeundo residentiam, Ordinarium haud inviseret, ut filiale illi prestando obsequium, consilia, adiumenta, monitaque ab eo, per quam humiliter, suscipiat, dicendum. Nam, etsi Parochus nil ab Episcopo sciscitandum habeat, ut quasdam ei tradere animadversiones Ordinarius debeat, fieri potest. Ceterum filio appropinquare patri semper carum; Patri vere amplexari filium semper summopere acceptum. Quamvis, igitur, illud ne nimis prope heic quoque locum obtineat, attamen et aliud ne nimis procul devitandum; quo tantum caritatis, prudentiae, iustitiaeque leges servantur incolumes.

II. — In episcopali ac canonica paroeciae visitatione [ac quoties Ordinarius eam invisiere praeadamaverit] adeo se habeat Pastor ut ex hac salutari pastorali industria, tum paroecia, tum